



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607**

S. Evphemia M.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

dosij iunioris sorore ædificatam in Blachernis ædificavit. D. Virgini, quam Iustinianus, auctore Procopio, instauravit. Iustinus nepos Iustiniani, teste Cedreno, duos arcus addidit. Anastasius triclinium, Tiberius balneum, vt Suidas tradit. Leo magnus in littore templum Deiparæ excitavit; in eaque vestem hanc B. Virginis deposuit. Cedrenus 17. Leonis anno id accidisse scribit. Nicephorus lib. 15. c. 24. totam hanc de veste V. historiam exponit, eiusdemque c. 14. vbi de Pulcheria agit, mentionem facit.

11. Iulii.  
vide 16.  
Iulii.

## S. EUPHEMIA M.

\*In æde il-  
lius, vide  
Euagrium  
lib. 3. c. 3.

**I**Mperantibus religiosissimis principibus Marciano & Pulcheria, concilium\* Chalcedonense sexcentorum triginta patrum celebratum est, in quo patres Eutychem & Dioscorum, & horum asseclas, qui vnam duntaxat in Christo naturam, vnamque voluntatem impie propugnabant damnauerunt. Qui cum à sententia deduci non possent, aliter hos aggrediuntur. Fidei Catholicæ & orthodoxæ professionem editam vno in volumine describunt; monentque hæreticos, vt ipsi vicissim suum dogma & sententiam altero libro complectantur. Dein vtrumque tomum signis clausum, reseratâ tumbâ sanctissimæ Euphemie Martyris, super pectus reponunt abeuntque.

Post

Post dies aliquot reuersi volumen hæreticorum ad pedes S. Euphemie, reperiunt abiectum: alterum autem Catholicorum volumen in venerandis manibus S. Martyris inueniunt; quo facto & hæretici pudore confusi, & Orthodoxi nouo gaudio cumulati sunt.

Sancta porro Euphemia Diocletiano imperante, & Prisco Europæ Proconsule, Chalcedonis alumna urbis, de Christiana religione, accusata apud Proconsulem igne cruciata est, & feris obiecta, cæterisque tormentorum generibus affecta lauream martyrii reportauit.

### ANNOTATIONES.

**S** Euphemie dies agitur 16. Septembris. auctores, qui Martyris acta perscribunt multos laudat Baronijs in Fastis Martyrum. Sed hoc miraculum Euphemie, in concilii Chalcedonensis Actionibus non recensetur, aiunt enim post concilium illud esse peractum, quemadmodum & illud quod in primo Nicæno accidit, cum duo mortui Episcopi sententias subscripserunt. Hic tamen, ex sententia reor Nicephori, quem non sequimur, perinde res narratur, atque si ab ipsis patribus inter consultandum, ad hoc miraculum fuisset appellatum. quod aliter euenit. Audi quid Cardinalis Baronijs Annali. 6. A. C. 451. de hoc miraculo ex diuersis scriptoribus disputet. *Hic, inquit, adijcienda*  
*putamus.*

Q 5

putamus.

putamus, quæ apud aliquot Græcos auctores leguntur de eadem fidei definitione diuinitus per sanctam Martyrem Euphemiam confirmata. Sed quod diuerso modo ab eius scriptoribus singulis, res tanta narretur, quisnam eorum magis scopum veritatis attigerit, est quam exactissimè disquirendum. Apud Constantini Episcopum in Oratione quam habuit de inuentione sacrarum reliquiarum S. Euphemie, hæc narratur:

(a) Apud  
Metaph.  
die 11. Iulij

(a) Quando Christi gratia, quarta, Chalcedone Synodus, tempore beatæ memoriæ, Marciani, qui piè & sanctè imperauit, fuit congregata, cum aduersus Dioscorum Papam Alexandrinum conuenisset, & iam hæreticos anathematizasset, & Orthodoxæ fidei symbolum confirmasset, & decretum exposuisset, columnam orthodoxæ fidei: dubitantibus ijs qui erant ex parte contraria, bono capto consilio, dixerunt: Age, benedictæ Euphemie arcam aperientes, in eius quæ sunt in carne, & sunt mirabilium operum effectrices, reliquijs, librum ponamus; vt per eam nunc quoque virtutum Dominus faciat miraculum, & per eius preces nobis aperiat, an ex eius voluntate editum sit hoc fidei decretum. Cum hæc ergo fecissent. simulatque appropinquauit charta pretiosis eius reliquijs, aliquid mirabile & magnum fecit Dominus opifex miraculorum. Nam cum martyris mortuam & inanimatam manum animasset, eam extendit. Cum autem chartam manu accepisset benedicta Christi Martyr, & eam esset amplexa, piæ rursus reddidit fidei decretum ministris rectæ fidei. Hoc cum omnes essent admirati. & stupore essent repleti, laudauerunt Dominum omnipotentem. Et sic in perfectione rectæ fidei stabiliti, confirmauerunt sanctam & œcumenicam quartam Synodū  
per

per revelationem quæ facta est à benedictâ Euphe-  
miâ, hæctenus narratio Constantini. *Sed apud*  
*Zonaram* (b) *res aliter recensetur in hunc ferme mo-*  
*dum*: Cum autem Eutychetis & Dioscori secta-  
tores, qui in vrbe versabantur, decreta Concilij  
subfannarent, eiusq; autoritatem non veritate, sed  
potentia imperatoris niti dicerent, & prauitatem  
sententiæ suæ stabilire conarentur: Anatolius Pa-  
triarcha, & suffragatoribus suis & aduersarijs con-  
uocatis, ad hos ita loquitur. Quoniam sententiam  
vestram adhuc mordicus tenetis, neq; vos perpe-  
ram sentire creditis, sed nos inculcatis quasi Nesto-  
rij dogma approbemus, cum duas naturas in Sal-  
uatore prædicemus, vtrâq; citra confusionē pro-  
prietatem suam retinente: istius controuersiaë du-  
bitatio, si placet, Deo permittatur. Scribatur igitur  
vestra de fide sententiâ in vno libello, & nostra  
in altero: atque ambo in loculo gloriose Martyris  
Euphemiæ collocentur; & huius iudiciuin esto,  
vtri rectè an perperam sentiant. Hæc cum hæreti-  
cis etiam placuissent; libelli scripti, remoto lapi-  
de, qui loculum claudebat, pectori Martyris appo-  
nuntur, & lapis in suum locum repositus ab vtraq;  
parte signatur. Dehinc supplicationes fiunt, &  
preces ad Deum peruigiles, vt demonstret, vtra  
sententiâ ei cordi sit, & quæ reiicienda videatur.  
Post triduum conueniunt, Imperatore etiam præ-  
sente. Aperto loculo (ô rem mirabilem) libellus  
hæreticorum ad pedes Martyris inuenitur; alter in  
manu eius dextra, quam extendisse fertur ad Impe-  
ratorem & Patriarcham, ac libellum eis porrexisse.  
Itaque rectæ sententiæ assertores plaudere, aduer-  
sarij verò demissis vultibus, & præ pudore caligan-  
tibus abire, quidam etiam veram sententiâ am-  
plecti, hæctenus Zonaras.

(b) *Zonaras*  
*Annal.*  
*tom. 3.*

*Nice-*

(c) Niceph. *Nicephorus autem hac ipsa referens, (c) id factum*  
*lib. 15. c. 5. à Patribus qui ad Synodum conuenerunt, affirmat,*  
*reliqua Verò per omnia Zonara consentientia habet.*  
*Red quanam horum trium Græcorum auctorum sit*  
*reijcienda, vel probanda ratio, Videamus. Quod ad*  
*Constantinum spectat, haud probatur assertio de ha-*  
*reticis ea de causa ad fidem Catholicam redeuntibus:*  
*cum præsertim nec esse soleat illorum hæretica pertina-*  
*cia, de his quæ asserunt dubitare, & à Deo quoquo*  
*modo auxilium querere. Sed & cum tempore Synodi*  
*id factum referat, ex ipsis Actis, tunc exactè conscri-*  
*ptis mendacij arguitur auctor: haud enim res tanta*  
*silentio sepulta prorsus relicta esset: cum alioqui ipsa*  
*acta declarent, hæreticos Eutychianos, qui semel ad-*  
*uersari cœperunt, in eodem errore obstinantissime per-*  
*mansisse.*

*Sic itaque nec recipiendum penitus quod asseritur*  
*à Nicephoro, id factum à Patribus in ipso Chalcedo-*  
*nensi Concilio: longè longius enim abest, ut Patres*  
*in sacris œcumenicis Concilijs ex miraculis quæserint*  
*dogmatum Veritatem, quam ex diuinis imprimis Scri-*  
*pturis, & antiquis Ecclesiæ traditionibus, ac demum*  
*ex Sanctorum Patrum assertionibus querere, propone-*  
*re, affirmare ac stabilire consueuerunt. Ut planè in-*  
*sulsum & omninò commentitium esse appareat, qua-*  
*sisse tunc Patres per eiusmodi miraculorū Veritatem.*  
*Sed si id (ut vult) consulta Synodo factum est: cur rei*  
*tanta scriptis mandari prætermissa est, atque inserti*  
*Actis publicis? Euanesceat igitur omni ex parte com-*  
*mentum, & ex Patrum consensu, immo ipsdem fuerit*  
*auctoribus factum eiusmodi experimentum.*

*Quod reliquum est, assertio Zonara examinanda*  
*venit: qua ponitur id post Synodum factum, dum in*  
*Urbe Constantinopolitana tumultaretur Eutychiani:*  
*cum*

cum ad sedandus eiusmodi turbas, quibus potuissent perfacile commoueri, Anatolius magna fiducia illud consilij inierit, Et edito miraculo & populus in officio contineretur, & hereticorum cohiberetur audacia. Habet Zonaras Glycam adstipulatorem, qui id factum post Synodum Chalcedonensem, tuuultuantibus rursus Episcopis quibusdam & Monachis, ab Anatolio tradit quadam ferme necessitate compulso hoc ipsum inire consilium. Quibus quidem auctoribus haud penitus refragamur, cum alia plura non desint exempla suis locis inferius recensenda, quibus probatum redditur, saepe à sanctis Viris altercationes insuperabiles cum hereticis obstinantissimis semel susceptas eiusmodi miraculorum virtute esse extinctas, & titubantem populum confirmatum, idque priuato diuini Spiritus factum instinctu: cum tamen ad Veritatem confirmandam firmiorem esse Propheticum sermonem, ipsam nimirum diuinam scripturam: S. Petri Apostoli testificatione habeatur expressum. Hæc Baronius, vnde discis de veritate historiæ nullam esse dubitationem, sed de tempore tantum disputari, nec inter Concilij dies actam.

2. Petr. 1.

S. GOLINDVCHA M. 13. Iulij.  
 MARIA POSTEA COGNO- In Menol.  
 MINATA. 81.

PERsis hæc erat patria, vxor magorum principis, regnante Cosroe, in Perside, imperante Mauritio: ad Christi fidem ex viso quodam cœlesti conuersa. Etenim animo diuinitus à sensibus auocato, cernebat maiores